

eundâ figurâ major terminus semper sit prædicatum, minor subjectum.

§. XXIX. Quibus sic stantibus implicare autumamus, in secunda & tertia figura reperiri Syllogismum indirectum, in quo sc. minor terminus inferatur de majori termino. Si enim in secundâ figura ad essentiam majoris requiritur, ut sit conclusionis prædicatum, sequitur quod loco subjecti poni non possit, quia aliàs amitteret suam essentiam. Quò accedit, quod omnes Syllogismi in secundâ & tertiâ figurâ, qui pro indirectis venditantur, reverâ sint directi, quod facilè etiam de adductis exemplis ostendi potest, modò notetur, quod de majore & minore propositione judicandum non sit ex situ vel pronuntiatione, quasi illa semper sit major, quæ primo, minor quæ secundo loco ponitur, sæpissimè enim transponuntur præmissæ, ut major secundo, minor primo loco ponatur, unde illa est major, in quâ ponitur major terminus, minor in quâ minor terminus ponitur.

§. XXX. In allatis igitur exemplis præmissæ sunt transpositæ, quæ si in ordinem rediguntur, res clara est, quòd sint Syllogismi directi. Primus igitur Syllogismus in secundâ figurâ est in modo *Festino*, ceu claret, si præmissæ transponuntur: N. rudis est doctus. Q. homo est doctus. E. Q. homo non est rudis. Alter Syllogismus in tertiâ figurâ est in modo *Felapton*, ut patet iterum ex transpositis præmissis: N. homo est leo. O. homo est animal. E. Q. animal non est leo. Tertius Syllogismus tertiæ Figuræ est in modo *Ferison*, modo præmissæ transponantur, hoc modo: N. *Æthiops est corvus*. Q. *Æthiops est niger*. E. Q. *nigrum non est corvus*. Qui modi sunt directi. Quomodo autem locus Aristotelicus supra adductus sit explicandus, cum nempe in §. 4. dicat: *Similiter* (Syllogismos nempe indirectos.) *fieri in aliis etiam figuris*: vide apud B. Stahlium Principem Logicorum hujus

jus